

erat electio, sed ad eam movebat, et dirigebat.

X. Ad ultimam rationem dicitur ex dictis quod Deus movens voluntatem Christi, ut pro his potius, quam illis offerret merita sua, volebat, et intendebat eos eligere, sed nondum de facto eligebat, sed media proponit, et adhibet ad eligendum. Et ita in illa priori voluntate Dei solum originative, et directive est electio, seu virtualiter, nondum expresse, et formaliter: alias idem argumentum probaret quod nec posset esse electio absoluta per merita Christi, quia etiam ad illam moveri, et regulari debet a voluntate divina ut a causa prima et suprema: ergo si hoc non obstante est electio absoluta per Christum, etiam comparativa.

Argumenta seu difficultates, quæ contra primam conclusionem possunt proponi, nullius sunt momenti. Nam quod aliqui dicunt, merita Christi non esse causam auxiliorum quæ dantur prædestinatis, aut prædestinatos ante prævisionem originalis peccati fuisse electos ad gloriam, utrumque falsum est, cum ipsum primum exordium justificationis, quod sumitur a gratia Dei præveniente, detur nobis per Christum, ut determinat Concilium Tridentinum sess. vi, c. v. Et non dari prædestinationem hominum ante Christum qui est primus prædestinatorum, nec incarnationem ante prævisionem originalis peccati, jam ostendimus. Quod vero objici potest incarnationem esse præcipuum medium quo prædestinati ducuntur ad gloriam; et sic inter effectus prædestinationis censendam esse, jam ostendimus non esse medium, nec effectum prædestinationis, sed causam, et superiori modo se habere ad ipsam, sicque maxime conducere ad nostram salutem, sed ut causam, auctoremque salutis; est

autem incarnatio propter nostram salutem tamquam propter finem effectum, non propter finem cujus gratia, sed tamen vere habet rationem motivi, sine quo Christus non veniret. Sed de his latius ad tertiam partem in materia incarnationis.

## DISPUTATIO IX.

### DE EFFECTIBUS PRÆDESTINATIONIS.

#### ARTICULUS I.

*Quæ conditiones requirantur ut aliquid sit effectus prædestinationis?*

I. Distinguere oportet in primis subjectum prædestinationis, et effectum. Subjectum est persona quæ a Deo transmittitur in finem supernaturalem, et hoc solum convenit creaturæ rationali, quia ipsa sola est capax beatitudinis, et fruitionis Dei. Effectus est omne beneficium gratuitum quod in ordine ad talem finem supernaturalem ordinatur, et conducit, eo quod prædestinatio, ut dicit Augustinus: Est præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur quicumque liberantur; et specialiter prædestinatio versatur circa ea quæ gratis, et supernaturaliter a Deo dantur; et sic est gratiæ præparatio. Et quidam effectus sunt immediate, et quasi elicitive ab ipsa prædestinatione, alii mediate, et quasi imperative: et hoc ideo quia gratia utitur naturam ut sibi inferiori, et subjecta; et sic providentia, seu præparatio supernaturalis gratiæ imperat naturali providentiæ, et dirigit illam ad finem suum, non quod imperium exerceatur inter actum et actum, cum in Deo non sint plures actus, sed inter

objectum et objectum, finem et finem.

II. Effectus ergo prædestinationis ad tria præcipua capita reducuntur.

Primo, ad effectus supernaturales qui proprie, et elicitive ad prædestinationem pertinent, sicut glorificatio, justificatio, et similia.

Secundo, ad effectus ordinis naturalis, qui subjiciuntur prædestinationi, et pertinent ad ipsam imperative, quia licet ab illa ordinentur ad finem altiore supernaturalem, per causas tamen naturalis ordinis exercentur, quæ ministerialiter deserviunt prædestinationi supernaturali, sicut vita ipsa prædestinati, longior vel brevior sanitas, bona indoles, ingenium, et similia quæ ad naturales facultates spectant, et tamen deservire possunt ad effectus gratiæ, quia hæc non destruit, sed perficit naturam.

Tertio, reduci possunt effectus prædestinationis ad permissiones peccatorum, quæ utique ad aliquos fines utilitatem suam habere possunt. De omnibus his in præsentis disputatione agimus.

III. Conditiones autem requisitæ ut aliquid sit effectus prædestinationis sive elicitus et immediatus, sive imperatus et mediatum, sunt quatuor. Duæ tenent se ex parte causæ efficientis, tertia ex parte subjecti, quarta ex parte finis. Ex parte efficientis requiritur.

Primo, quod aliquid sit a Deo tamquam effectus ejus.

Secundo, quod talis effectus oriatur ab ipso efficiente ex intentione efficaci dandi gloriam: cum enim prædestinatio sit præparatio medium ad gloriam, talis causa præparans et ordinans, necessario debet moveri ex fine dandi efficaciter ipsam gloriam. Et ratione hujus conditionis incarnatio, et merita Christi non sunt effectus prædestinatio-

nis, licet maxime ad obtinendam gloriam conducant, quia conducunt ut causa prædestinationis, non ut effectus: nec enim sunt ex intentione dandi nobis gloriam, sed potius intentio dandi gloriam ex ipso Christo, et meritis ejus causatur: *Elegit enim nos in ipso ante mundi constitutionem*, ut inquit Apostolus Ephes. i.

Tertia conditio requisita ad effectum prædestinationis, tenet se ex parte subjecti, scilicet quod pertineat ad creaturam intellectualem ordinatam ad finem supernaturalem, quod totum ex parte subjecti se tenet.

Quarta ex parte finis, quod talis effectus conducat, vel ordinetur ad obtinendum dictum finem supernaturalem; et sic in genere causæ finalis debet esse causatus a beatitudine ipsa supernaturali, eique subjectus.

IV. De prima conditione, non potest dubium esse inter catholicos: constat enim quod quidquid non est effectus Dei, est defectus, et peccatum quoad formale suæ malitiæ, et aversionis. Quod nullo modo potest esse ex prædestinatione Dei: nam prædestinatio est providentia specialis orta ex speciali dilectione, et voluntate Dei, qua eligit, et diligit eos quos prædestinat, juxta illud Psal. xvii: *Salvum me fecit, quoniam voluit me*: Romanorum ix: *Jacob dilexi, Esau autem odio habui*: Joan. iii: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam*: Lucæ xi: *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum*. Sed peccatum quantum ad suam malitiam non potest procedere a voluntate Dei, cum potius sit aversio a Deo: *Odio enim sunt Deo impius, et impietas ejus*, ut dicitur Sapient. xiv, nihil autem pro-

cedit a Deo per odium, sed per amorem, juxta illud Sapient. xi: *Nec enim odiens aliquid constituisti, aut fecisti*: ergo nullo modo peccatum quoad suam malitiam potest esse effectus prædestinationis; sicut nec voluntatis, et amoris, in quo prædestinatio fundatur. Unde hoc ipsum, scilicet quod peccatum sit ex prædestinatione Dei, damnat S. Prosper ad objectiones Vincentianas, responsione x et xii, et Augustinus libro primo contra duas epistolas Pelagianorum, c. iii et Concilium Arausicanum II, in fine, et Tridentinum sess. vi, can. vi, et multis probari solet a theologis 1-2, qu. lxxxix, ubi ostenditur Deum non esse auctorem peccati, cum tamen sit auctor omnium eorum quæ prædestinavit, et consequenter omnium effectuum prædestinationis, quia specialiter ab ejus providentia ordinata, et præparata sunt, et consequenter causata.

V. Ex quo obiter advertes rejiciendas esse aliquorum minus cautas locutiones, qui absolute docent peccatum causari vel prædestinari a Deo, et formale peccati etiam quantum ad malitiam esse ex prædestinatione Dei, saltem quoad secundariam intentionem: quibuscumque enim formis vel locutionibus aut distinctionibus res ista pallietur, aut obscuretur, vel sumit formale peccati pro ipsa malitia, et aversione, ut communiter sumi solet, et secundariam intentionem Dei sumit pro vera, et propria voluntate, et præparatione, licet non prima, sed præsupponente aliam priorum, aut non. Si hoc secundum, nihil dicitur præter communem sententiam, quod peccatum nullo modo sit a Deo, nec ab ejus prædestinatione, sed solum verbis luditur, significando quod est a Deo, cum id non dicatur in re, nec ita sit. In rebus autem theologis, et præser-

tim dogmaticis ludus iste verborum non licet. Si primum dicatur, inciditur in sententiam damnatam a Conciliis, et patribus, quod Deus causet peccatum, non solum permissive, sed etiam proprie, et per se, cum ex ejus prædestinatione, et speciali providentia dicatur descendere, quod tamen sub his verbis damnatur a Concilio Tridentino citato loco. Nihil enim ita proprie, et per se Deus operatur, quam quod ex speciali præparatione, et prædestinatione facit, et ex intentione, quantumcumque dicatur secundo id facere, quia ly secundario non tollit quod proprie, et vere efficiat, aut si tollit, nihil dicitur per illa verba, nisi communis sententia. Plura de his occurrent iterum infra articulo sexto agendo de permissione peccati.

VI. Secunda conditio si solum explicetur in hoc sensu, quod ut aliquid sit effectus prædestinationis debeat præsupponere, et oriri ex aliquo fine intento supernaturali, extra controversiam est, quia non est dubium quin effectus prædestinationis sit ex præordinatione Dei, et non a casu, et fortuito, et consequenter ex intentione finis: quod enim non est a casu, ex fine et intentione est. Quod autem iste finis sit efficaciter intentus, et non sufficiat simplex voluntas, jam supra ostensum est, licet aliquid dubitent, contra quos egimus. Quod vero iste finis debeat esse ipsamet beatitudo ex cujus efficaci intentione procedant in executione omnes effectus ab ista prædestinatione præparati, pendet ex illa quæstione superiori disputatione jam discussa, an efficax intentio ad gloriam præcedat nostrorum meritorum præscientiam tamquam causa, et motivum illorum, de quo jam satis dictum est.

VII. Tertia denique, et quarta

conditio ex ipsa propria ratione prædestinationis manifestæ fiunt: est enim prædestinatio transmissio creaturæ rationalis in beatitudinem per certa, et determinata media: ergo subjectum quod transmittitur tamquam persona, de qua hujusmodi providentia disponit, est creatura rationalis, quia hæc sola est capax illius transmissionis ad gloriam. Finis autem ad quem talis persona transmittitur est vita æterna, seu beatitudo; et sic providentia prædestinativa solum potest esse de persona ut ordinata ad talem finem. Ergo ut aliquid sit effectus prædestinationis, oportet quod aliquo modo conducat ad hoc ut talis persona, seu creatura intellectualis transmittatur, et assequatur illum finem, quia ille solum est effectus alicujus providentiæ, et præparationis, qui ad finem ad quem fit illa præparatio conducit. Et vero quæ non conducunt ad finem prædestinationis, sunt communia reprobis, et prædestinatis: non ergo sunt proprii effectus prædestinationis, ut segregat prædestinatos a reprobis.

VIII. Potest ultimo addi alia conditio requisita ad effectus nostræ prædestinationis, ut de facto fit, scilicet quod sint per Christum: nam cum omnis nostra gratia ab ipso sit, si quidem: *De plenitudine ejus omnes accepimus, et gratiam pro gratia*, ut dicitur Joan. i, consequenter omnis effectus prædestinationis est per Christum, quia omnis effectus prædestinationis est beneficium gratiæ, eo quod prædestinatio, ut Augustinus dicit: « Est præparatio beneficiorum Dei, etc. » Unde dicitur Actorum iv, quod: *Non est aliud nomen datum sub celo, in quo oportet nos salvos fieri*: et Paulus ad Ephes. i: *Prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum*. Cæterum hæc conditio non est per se, et

intrinsece requisita ad prædestinationem absolute, sed ut de facto fit in nobis, quia sine ipsa dari posset absolute, ut si Filius Dei non fieret homo, et si status innocentia durasset, adhuc homines prædestinarentur. Et Angelos non recepisse ex Christo gloriam, et gratiam essentialem probabilior fert opinio, eo quod non fuerunt prædestinati ut redempti, et gratia per Christum redemptiva est. Solum ergo hæc conditio est necessaria supposita voluntate, et beneplacito Dei, qui præordinavit incarnationem Christi, ut esset causa nostræ salutis, nec nisi per ipsum haberemus accessum ad Patrem in confidentia in sanguine ipsius. De quo D. Thomas iii part. quæst. xxiv, art. iv ad iii.

#### ARTICULUS II.

*Utrum glorificatio, et justificatio, et quæcumque efficax vocatio sint effectus prædestinationis?*

I. In hoc articulo conjungimus omnes effectus supernaturales, de quibus aut nulla, aut modica difficultas esse potest, quod sint effectus prædestinationis: hos enim videtur enumerare Apostolus ad Rom. viii, dicens: *Quos prædestinavit, hos et vocavit, et quos vocavit, hos et justificavit, quos autem justificavit, hos et glorificavit*. Glorificavit autem, inquit Augustinus c. xvii de prædestinatione sanctorum: « Eo fine qui non habet finem. » Nec movere debet quod Paulus loquitur de præterito, justificavit, vocavit, glorificavit, etc. id enim ponitur, ut inquit S. Thomas in capite viii ad Romanos, lect. vi, vel propter certitudinem futuri, vel quia quod in quibusdam est futurum, in aliis est completum.

Non defuerunt ergo aliqui theologo, qui dixerunt solam gratiam